




HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY



INDEX LECTIONUM

QUAE AUSPICIIS

AUGUSTISSIMI AC POTENTISSIMI PRINCIPIS

GUILELMI

GERMANORUM IMPERATORIS BORUSSORUM REGIS

IN

ACADEMIA

THEOLOGICA ET PHILOSOPHICA MONASTERIENSI

PER MENSES AESTIVOS A. MDCCCLXXXVII

INDE A DIE XV. MENSIS APRILIS


PUBLICE PRIVATIMQUE HABEBUNTUR.

PRAEFATUS EST I. M. STAHL DE HYPORCHEMATE AMOEBAEO QUOD EST IN EURIPIDIS CYCLOPE.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA ACADEMICA COPPENRATHIANA.

1887.


HARVARD COLLEGE
AUG 3 1896
LIBRARY.

AUCTORITATE

RECTORIS ET SENATUS

CIVIBUS S. D.

IOANNES MATTHIAS STAHL,
LITTERARUM GRAECARUM P. P. O.

Saltatorium esse carmen quod in Euripidis Cyclope (v. 495—518) alternatim a choro et Polyphemo cantatur cum ex chori verbis *φέρε νιν κώμοις παιδεύσωμεν* (v. 491) intellegitur, ubi *κῶμοι*, cum ad hoc ipsum quod insequitur carmen spectetur, de comissatione dicti esse nequeunt, sed cantum cum saltatione significant (cf. Poll. IV 99 *ἦν δὲ καὶ κῶμος εἶδος ὀρχήσεως*, Hesych. *κῶμος· εἶδος ὀρχήσεως ἢ μέλους τινός*, Phot. *κῶμος· εἶδος ὀρχήσεως*, Suid. *κῶμοι· ᾠδαὶ ἢ ὀρχήσεις μετὰ μέθης*, Etym. magn. 550, 49 *κῶμος· εἶδος ὀρχήσεως, οἱ δὲ μέλους*, Zon. *κῶμος· ἡ μετ᾽ ὀρχήσεως ᾠδή*), tum quantum ad Polyphemi partem attinet scholiasta Theocriti testatur, qui huc sine dubio respiciens ad VII 151 sq. *ἆρά γέ πᾳ τῆνον τὸν ποιμένα τὸν ποτ᾽ Ἀνάπῳ — τοῖον νέκταρ ἔπεισε κατ᾽ αὐλία ποσσὶ χορεῦσαι* haec adnotavit: *τὸ δὲ χορεῦσαι τὸν Κύκλωπα ἐξ Εὐριπίδου μετήνεγκε.* Atque ad saltandi vigorem aptissima est non solum laeta orationis festivitas, sed etiam incitatior rhythmi ionici cursus. Cf. Poll. IV 103 *τὸ δὲ Ἰωνικὸν Ἀρτέμιδι ὠρχοῦντο Σικελιῶται μάλιστα* et Christii Metr. § 664.

Ipsi carmini praemissa sunt haec duo *συστήματα ἐξ ὁμοίων* anapaestica:

ἄγε, τίς πρῶτος, τίς δ᾽ ἐπὶ πρώτῳ
ταχθεὶς δαλοῦ κώπην ὀχμάσας
Κύκλωπος ἔσω βλεφάρων ὤσας
λαμπρὰν ὄψιν διακναίσει;
σίγα σίγα. καὶ δὴ μεθύων

ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος
σκαιὸς ἀπῳδὸς καὶ κλαυσόμενος
χωρεῖ πετρίνων ἔξω μελάθρων.
φέρε νιν κώμοις παιδεύσωμεν
τὸν ἀπαίδευτον.
πάντως μέλλει τυφλὸς εἶναι.

Ex his verba *ἄχαριν . . . κλαυσόμενος* offenderunt G. Hermannum nec sine causa. Languidam enim esse dicit orationem, cum et *ἀπῳδός* sic nihil aliud sit quam *ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος* eodemque referatur *σκαιός* et prorsus inepte per *καί* adiuncta sit res diversissima *κλαυσόμενος;* scribendum igitur esse *ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος, σκαιός, ἀπῳδὸς κατακλαυσόμενος,* dissonum strepitum modulans, stultus, qui dissimilem cantum eiulaturus sit. Sed non necesse est *σκαιός* ab anterioribus divelli, cum aptissime Cyclops ingratum strepitum stolidus sive stolide modulari dicatur; deinde maiorem vim atque evidentiam oratio accipere videtur ex Fixii correctura *τάχα κλαυσόμενος* non minus leni, quoniam et *τάχα* pro rerum condicione optime accedit (cf. Soph. OC. 820 *τάχ' ἕξεις μᾶλλον οἰμώζειν τάδε*) et a vulgari male se habendi sensu, in quem hic *κλαίειν* perinde atque in v. 554 *κλαύσει φιλῶν τὸν οἶνον οὐ φιλοῦντά σε* transferri oportet, compositum *κατακλαίειν* alienum est. Praeterea quanquam intellegi potest librorum scriptura *ἀπῳδός,* tamen *ἀπῳδόν* (cf. *ὀξὺ βοᾶν* quaeque sunt similia) concinnitatis causa praeferendum esse putamus. Cum enim eius vocabuli vis multo aptius ad *ἄχαριν κέλαδον* quam ad *σκαιός* conveniat, simili ratione atque illud ad verbum suum id referri decet, idque confirmare videtur grammatici in Bekk. Anecd. p. 441, 12 interpretatio ab Hermanno allata *ἀπῳδόν· τὸ τῆς ᾠδῆς ἀλλότριον,* quam ad hunc ipsum locum pertinere eo magis suspicari licet quod *ἀπῳδός* alibi apud veteres scriptores Graecos non invenitur. Postremis prooemii anapaestici verbis chorus significat se ruditatem Cyclopis ita cantu et saltatione mitigare velle ut sibi obsecutus praetermittat quod antea sibi proposuit, ad reliquos Cyclopes comissandi causa se conferre (cf. v. 445 sq.); id enim se efficere velle ut omnino, et mente et oculo, caecus ille fiat. Anapaestos toti choro continuant codices, praeterquam quod rec. Flor. alterum systema anapaesticum et primam quae insequitur stropham hemichoriis tribuit. Cum in v. 487 *σίγα σίγα* ad eum dici pateat qui antea locutus sit, utrumque systema anapaesticum hemichorio tribuendum esse putamus. Qua in

re cum verum viderit Hermannus, idem falso etiam primam et tertiam hyporchematis stropham ab hemichoriis cantata esse credidit. Nam eius rei non solum ne levissimum quidem in ipso carmine est vestigium, sed contrarium etiam v. 491 *φέρε νιν κώμοις παιδεύσωμεν* videtur indicari, quippe quo ad communem cantum altera pars chori alteram adhortetur.

Ipsum hyporchema tres pares strophas metri ionici habet, quae cum ex aequalibus membris sine hiatu et syllaba ancipiti continuatis constent, *συστήματα ἐξ ὁμοίων* efficiunt. Ac primum quidem se excipiunt sex dimetri ionici a minori in formam versuum anacreonteorum ita *ἀνακλώμενοι* ut pro primo trochaeo, quod alibi admittitur, nusquam spondeus ponatur; deinde sequitur dimeter ionicus genuinam formam retinens; postremo clausulam facit trimeter ionicus in fine ita *ἀνακλώμενος* ut pro ionico a maiori substitutus sit creticus ditrochaei mensuram exaequans (— ⏑ ⌞).

Prima stropha haec est:

μάκαρ ὅστις εὐιάζει
βοτρύων φίλαισι πηγαῖς
ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθεὶς
φίλον ἄνδρ᾽ ὑπαγκαλίζων
ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθὸν
χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας
μυρόχριστος λιπαρὸν βό-
στρυχον, αὐδᾷ δέ· θύραν τίς οἴξει μοι;

Initium in codicibus ita traditum est ut metro non conveniat. Nam *μακάριος ὅστις σεβιάζει* Pal.; *μακάρϊ* (sup. *ος*) *ὅστις εὐιάζει* Flor. *ος* sup. *ϊ* et ʺ nunc eras., *τι* erasit et *ὃ* pro *τι* scr. alia manus corr.[1]); archetypus igitur *μακάριος ὅστις εὐιάζει,* ubi *ιος* ex insequenti *ὅσ* repetitum erat. Emendavit Hermannus. In v. 500 *λιπαρὸς* codices. Emendavit Scaliger. Ceteroqui prima verba nihil difficultatis habent; nam dativus *φίλαισι πηγαῖς* ita cum *εὐιάζει* iungitur ut alibi *χαίρειν τινί* et similia dicuntur. Sed gravem offensionem praebet *ἐπὶ δεμνίοις τε ξανθόν,* cum non solum metrum depravatum sit (cf. Christii Metr. § 523), sed etiam sententia inepta. Nam quis,

[1]) De cod. Flor. scriptura certiorem me fecit R. Prinzius.

inquit Hermannus, cincinnum mulieris se in lecto tenere dicat et non potius ipsam mulierem? Reponere voluit Hermannus pro *ξανθόν* vocabulo *κάλλος;* lenius Fixius et Dindorfius *ἐπὶ δεμνίοισί τ᾽ ἄνθος* coniecerunt. Sed ne sic quidem omnis sublata est difficultas. Describitur adulescentulus vel puer in convivio amatorem amplexu tenens. Quomodo igitur is simul, ut illi voluerunt, puellam amplecti potest? Neque hoc omnino est pueri qui viro in deliciis sit. Accedit quod *ἐπὶ δεμνίοισι* particula *τε* ita adiungitur et distinguitur a superiore *ἐπὶ κῶμον* quasi diversum locum significet, quod non quadrat ad praepositum *μάκαρ ὅστις εὐιάζει βοτρύων φίλαισι πηγαῖς,* cui cum omnia quae sequuntur participialia subiecta sint, unam eandemque compotationis imaginem a poëta iis effingi apparet. Neque multum proficitur ad removendas has offensiones M. Hauptii coniectura *ἐπὶ δεμνίοις τε θυμὸν χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας* vel propter litterarum dissimilitudinem improbabili, quam in Herm. VI p. 386 ideo potissimum protulit ne absurde is qui amicam in lecto teneret simul aditum in eius domum peteret vociferans: 'ecquis fores mihi aperiet?' Nam manet id incommodum quod in *δεμνίοισι* particula *τε* adiuncto modo invenimus, et licet *θυμὸν ἑταίρας* desiderium amicae significare possit, quod negamus, tamen quomodo puer, dum ita ut depingitur cum amatore est, mulierem desiderare possit non perspicimus. Non posse eum cuius felicitas hic praedicatur simul virum et mulierem amplexari etiam Wieseler in Adn. crit. ad Eur. Cycl. (ind. lect. Gotting. 1879|80) p. 10 intellexit, sed coniectura qua locum sanavisse sibi visus est *τὸν ξανθὸν χλιδανῆς ἔχων ἐθείρας μυρόχριστον λιπαρὸν βόστρυχον* plane improbanda est. Nam non solum metri vitium manet, sed etiam articulus ante *ξανθόν* sensu caret et compti crines molesta atque inepta verborum affluentia describuntur. Multo leniore medicina locus sanari potest. Recepta enim *ἄνθος* correctura scribatur *ἐπὶ δεμνίοισιν ἄνθος* et *ἐπὶ δεμνίοισιν* cum praegresso *ὑπαγκαλίζων* iungatur, quo facto *ἄνθος χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας* non is dicitur qui puellam aetate formaque florentem in lecto tenet, sed is qui puellae florem formamque habet. Atque hoc aptissimum est. Nam, ut apud Athen. 605 d legimus, *τότε οἱ παῖδές εἰσι καλοὶ ὅσον ἐοίκασι γυναικὶ χρόνον,* et *ἑταίρᾳ* speciatim puerum poëta comparat propter similem utriusque cum suo amatore necessitudinem. Iam vero solum virum puer amplectitur et sublata est omnis rei et loci diversitas, quoniam inter compotationem hic in lecto cum amatore accubat. Sed restat alia difficultas. Quomodo enim amatus puer, dum in lecto convivali virum amplectitur, simul postulare potest ut ianua sibi

aperiatur? Cuiusnam? An amicae? At amor desideriumque mulieris in hunc puerum omnino non cadit. Praesto autem nobis est qua haec repugnantia tollatur ingeniosa Musgravii suspicio, quam immerito Kirchhoffius et Hauptius ita spreverunt ut ne commemoratione quidem dignam eam esse existimaverint. Ille enim cum sensisset in ea quae hic repraesentatur scaena convivali nullo pacto fieri posse ut is qui cum amatore accubaret de se ipse *θύραν τίς οἴξει μοι* diceret, cantilenae cuiusdam id initium esse coniecit ideoque antea *ᾄδει* pro *αὐδᾷ* esse rescribendum. In eo tamen nimius fuit quod obsceni cuiusdam carminis hoc exordium fuisse statuit. Nam neque ipsa verba quicquam obsceni habent neque, id quod Hermannus putavit, cum sensu obsceno hic afferuntur. Fuisse autem videtur *παρακλαυσιθύρου* cuiusdam initium Euripidis tempore multum celebrati, quales cantilenae amatoriae procul dubio etiam in conviviis cantabantur (cf. Bergkii Hist. litt. Gr. II p. 161). Recepta igitur Musgravii emendatione nihil iam in hac stropha restare videtur difficultatis. Praedicat chorus atque vivis tanquam coloribus depingit pueri amati felicitatem, qui in compotatione laetitia exsultet virum sibi carum amplexu tenens florenti pulchritudine praeditus animumque cantando oblectet, eaque praedicatione tecte simul indicat se talem et ipsum cupere Polyphemo esse, quod idem in tertia stropha aperte, ut videbimus, eloquitur.

Sequitur Polyphemi cantus:

παπαπᾶ, πλέως μὲν οἴνου,
γάνυμαι δὲ δαιτὸς ἥβῃ,
σκάφος ὁλκὰς ὣς γεμισθεὶς
ποτὶ σέλμα γαστρὸς ἄκρας.
ὑπάγει μ' ὁ χόρτος εὔφρων
ἐπὶ κῶμον ἦρος ὥραις,
ἐπὶ Κύκλωπας ἀδελφούς.
φέρε μοι, ξεῖνε, φέρ', ἀσκὸν ἔνδος μοι.

In v. 503 *ἥβης* libri, quod correxit Lobeckius. Praeterea pauca monenda sunt quae ad interpretationem pertineant. Ac primum quidem *παπαπᾶ* est vox Cyclopis prae ebrietate lallantis, longe diversa a *παπαπαῖ*, quod dolentis vel mirantis est; deinde cum iuxta posita sint *πλέως οἴνου* et *δαιτὸς ἥβῃ* ad *γάνυμαι* pariter pertinentia, *μέν* et *δέ* insolenter traiecta sunt (legitimus enim ordo esset *οἴνου μὲν πλέως, δαιτὸς δὲ ἥβῃ γάνυμαι*), qua de re cf. Soph. OC. 1156. Trach. 63.

Kuehn. Gr. max. § 528, 2; tum etiam sequentia verba, cum accusativus *σκάφος* cum *γεμισθείς* iungendus sit, inversa sunt pro *ὡς ὁλκὰς σκάφος γεμισθείς;* postremo animadvertenda est vulgaris sermonis rusticitas ad exprimendam Cyclopis immanitatem accommodata, quam navis onerariae potissimum comparatio et pabulum (*χόρτος*) pro cibo dictum (cf. *δούλιον χόρτον* in Hipponactis fragm. 35) ostendunt.

Maximis difficultatibus tertia stropha impedita est:

καλὸν ὄμμασιν δεδορκὼς
καλὸς ἐκπερᾷ μελάθρων.
* * * *φιλεῖ τις ἡμᾶς.*
λύχνα δ' ἀμμένει δάια σὸν
χρόα χὡς τέρεινα νύμφα
δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων.
στεφάνων δ' οὐ μία χροιὰ
περὶ σὸν κρᾶτα τάχ' ἐξομιλήσει.

In altero huius strophae versu *καλὸς* pro *καλὸν* restituit Scaliger, in paenultimo *χροιὰ* pro *χρόα* Barnesius. Haeremus statim in secundo versu. Quis enim ex tecto prodit? Utrum vir an puer de quibus antea chorus dixit? Neuter, sed Cyclops, ut ex v. 490 *χωρεῖ πετρίνων ἔξω μελάθρων* intellegitur. Hoc autem ut ipsis verbis perspicue significetur, *ἐκπερᾷς* scribendum est. Simulat igitur chorus se admirari Polyphemi formositatem, quem vinolentia pulchriorem reddiderit. Insequentis versus lacunam sic explevit Hermannus: ⟨*φίλος ὢν*⟩ *φιλεῖ τις ἡμᾶς*. Sed quis eos amat? An Cyclops? Sed unde hoc chorus novit? Nullum eius rei adhuc fuit indicium. An fingit tantum? Sed quomodo eius rei fidem faciat Polyphemo, quippe qui ipse optime sciat utrum eum amet necne? Nec multum ad tollendas has dubitationes proficitur, si, ut a nonnullis fit, ipse chorus ambigue de Ulixe cogitare putatur, cum Polyphemum de se ipso haec verba accipere velit. Et licet Polyphemus Satyros adulescentulos amare ipsis his verbis dici possit, non idoneus huius sententiae cum superiore est conexus. Nam admiratio pulchritudinis non causa est cur quis ametur, sed cur amet. Itaque necesse est chorus profiteatur se ipsum propter admirabilem Polyphemi pulchritudinem huius amore teneri. Haec autem sententia sic evadit: ⟨*καλὸν οὖν*⟩ *φιλεῖν τί σ' ἡμᾶς*, ubi *ἡμᾶς* subiectum est et *τι* non paululum, sed multum valet perinde atque in *λέγειν τι, ποιεῖν τι,* similibus. Simul repetito *καλόν* gratus verborum lusus efficitur, et aperte iam iuvenilem chorum eius partes

suscipere videmus qui, cum virum amore prosequatur, ipse ab eo amari cupiat. Sequitur locus qui, quantumvis operae in eo enodando consumptum sit, minime expeditus sit atque intellectus. Ac primum quidem v. 513 non solum metri vitio laborat, sed etiam quae sint λύχνα (qui pluralis est ἑτερόκλιτος vocabuli λύχνος) nequaquam omni ex parte cognitum est. Hoc unum primo obtutu liquet, ambiguitatem esse in hoc nomine et ipsum chorum λύχνα titionem intellegere quo postea Cyclopis oculus exuritur; sed quid Polyphemum cogitare velit minime exploratum est. Proprie faces nuptiales designari plerumque volunt, quas in nuptiis matres potissimum eorum qui matrimonio iungebantur videntur tulisse (cf. Beckeri Charicl. ed. Goell. III p. 372 sq. Bluemneri Antiqu. priv. Graec. p. 274 sq.). Sed qui hic matrum loco faces nuptiales ferant? Et ubi est sponsa quam Polyphemus in matrimonium ducat? Num ipse Cyclops de suis nuptiis cogitare potest? Sed licet possit, tamen inutiles sunt emendationes in eam sententiam propositae. Hermannus λύχνα δ' ἀμμένει διαὶ σὸν χρόα σ'· ὡς τέρεινα νύμφα κ. τ. λ. scripsit eaque sic interpretatur: lucernae te propter formam tuam exspectant; nam intus est in antro tenera sponsa. Sed quomodo faces nuptiales dici possunt propter formam aliquem exspectare? Quasi vero sponsi pulchritudo causa sit cur faces in nuptiis accendantur, non communis et patrius mos. Et si illa causa esset cur accenderentur, turpitudinem sponsi causam esse oporteret cur non accenderentur. Tum vero unde in antrum subito sponsam involavisse censeamus, cuius ibi commorantis in tota reliqua fabula nec vola nec vestigium inest? Et ipse Cyclops, qui, cum laetam vitam quam in antro ageret v. 323—341 narraret, mulieris ne minimam quidem fecit mentionem, quomodo tandem opinari potest puellam sibi destinatam in antro adesse? Neque hoc ei in votis est, quoniam a mulierum amore se alienum esse postea (v. 583 sq.) confitetur verbis ἥδομαι δέ πως — τοῖς παιδικοῖσι μᾶλλον ἢ τοῖς θήλεσιν. Praeterea ex tragicis forma διαί solus Aeschylus utitur, non Sophocles aut Euripides, et ipsum χρώς nusquam pulchritudinem significat. Violentior nec melior est Hartungii mutatio λύχνα δάι' ἀμμένει σὸν χρόα καὶ τέρεινα νύμφα δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων. In quibus τέρειναν νύμφαν simul glabrum palum ambigue indicare ille putat quo Cyclopis oculus exstinguatur, quam ambiguitatem nemo nisi ab interprete ultra modum sagaci monitus intellegit. Praeterea δάιος ei est ardens, cum qua significatione hoc adiectivum, sive a δᾴς sive a δαίω derivatur, alibi non exstat. Sed etiamsi in singulis verbis nihil esset in quo

offenderemus, tamen in obscuro manent nuptiae faces sponsa. Idem valet in Kirchhoffii coniecturam λύχνα σ᾽ ἀμμένει· πελᾷ σὸν χρόα χρῷ τέρεινα νύμφα, ubi praeterea minus placent asyndeta parum eleganter admissa, et in Weckleinii in Stud. Eurip. p. 404 conatum λύχνα δ᾽ ἀμμένει σε δᾴδων χρόα καὶ τέρεινα νύμφα, qui non solum τέρεινα νύμφα eadem ambiguitate dictum esse opinatur qua Hartungius, sed etiam in eo peccat quod χρόα pro parte ad σέ apponit, cum χρώς figurate pro toto corpore, non pro parte eius dicatur et σὸν χρόα hic pariter pro σέ positum sit atque in v. 2 τοὐμὸν δέμας pro ἐγώ. Sponsam quidem removit Wieseler l. l., qui in reliquis retinens Hermanni lectionem σ᾽ ὡς τέρειναν, νύμφαν scripsit; sed praeterquam quod ita vitium metricum poëtae obtrusit et in ritu nuptiali ipsum Polyphemum sponsae loco esse miramur, manent nuptiae et taedae. Metro in v. 513 leni medicina subvenit Dindorfius πάλαι pro δάια restituens. Ut enim in v. 489 *ΚΑΙ* ex *ΧΑ* factum est, quod detritis primis duabus litteris ex τάχα reliquum erat, sic hoc loco *ΔΑΙΑ* ex *ΛΑΙ*. Refertur autem πάλαι interdum non ad tempus quod dudum, sed quod modo praeteriit (nos: so eben), velut Soph. El. 1199. OR. 1112. Eur. Hipp. 1085. Plat. Conv. 198 a. Hanc igitur emendationem meam facio; sed quoniam de taedis nuptialibus nullo modo sermo esse potest, verba aliter interpretor. Voce enim λυχνίς, quod est deminutivum nominis λύχνος, flos quidam significatur igneo rubore conspicuus, quem Theophr. Hist. plant. VI 8, 3 ἐν τοῖς στεφανωματικοῖς (cf. VI 6, 1. 8, 6) et Nicander apud Athen. 683 e inter στεφανωτικὰ ἄνθη (cf. 683 a) itemque Plin. Hist. nat. XXI 4 inter coronamenta nominat. Cf. Dioscor. III 104 λυχνὶς στεφανωτικὴ ἄνθος ἐστὶν ὅμοιον λευκοΐῳ, ἐμπόρφυρον δέ, πλεκόμενον ἐς τὰ στεφάνια, Galen. de simpl. medic. temp. VII 22 λυχνίδος τῆς εἰς τοὺς στεφάνους. Atqui plantis appellandis Graeci nonnunquam primitiva nomina et deminutiva promiscue adhibuerunt, velut φλόμος φλομίς, ἄμπελος ἀμπελίς, γογγύλη γογγυλίς, οἰνάνθη οἰνανθίς, ῥαφάνη ῥαφανίς. Idem igitur in λύχνος λυχνίς videtur fieri potuisse, quanquam λυχνίς ubi flos significatur adeo praevaluit ut primitivi hac sententia praediti nullum servatum sit exemplum. Sed etiamsi cum hoc sensu λύχνος non usitatum fuit, eum tamen vocabuli usum, cum ad ambiguum sensum quo simul titio designatur deminutivum minus idoneum videretur, ipse etiam poëta sibi eo magis permittere poterat quod flos sine dubio a lucernae significatione primitivo nomini propria lucernula denominata

est[1]). Quod si ita est, *λύχνα* hoc loco coronamenta chorus Cyclopem intellegere vult, cum ipse de titione cogitet, et cum etiam in sequentibus de Polyphemo coronando sermo sit, haec omnia in eiusdem rei descriptionem coeunt. In proximis impedita est verborum structura. Quam ut corrigeret, Dindorfius *χρό'· ἄγ', ὡς τέρεινα νύμφα δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων* scripsit. Sed parum distincte dictum est nudum *ἄγε,* et ipsam sponsam in antro adesse non posse supra vidimus. Itaque *ὡς* comparativum est et utique manere debet. Facile autem quae sequuntur ei aptantur. Una enim dempta litterula verborum consecutionem restitutam credo. Nam si *δ'* quod post *στεφάνων* legitur omittimus et sublata post *ἄντρων* interpunctione verba continuamus, solus nominativus *τέρεινα νύμφα* explicationem requirit. Is autem licentius positus est quasi secuturum sit *στεφανωθήσει,* coronaberis. Cuius enormitatis etiam alibi exempla inveniuntur, velut in Xen. Hier. 6, 15 *ὥσπερ γε καὶ ἵππος, εἰ ἀγαθὸς μὲν εἴη, χαλεπῶς μὲν ἄν τις αὐτὸν ἀποκτείνοι* nominativus scriptus est quasi secuturum sit *ἀποκτείνοιτο* et apud ipsum Euripidem in Hippol. 23 *τὰ πολλὰ δὲ — πάλαι προκόψασ' οὐ πόνου πολλοῦ με δεῖ* quasi secuturum sit *δέομαι.* Adde Eur. Iph. T. 695. 947. 964. fragm. 583 (Dind.) et quae praeterea exempla Kuehner in Gram. max. § 356, 6 et Krueger in Gram. § 45, 1 adn. 1 et ibidem in Synt. poët. et dial. afferunt. Comparationis autem ratio haec est: cum Cyclops cum sponsa nihil commune habeat nisi quod haec quoque sertis versicoloribus coronatur (cf. Beckeri Charicl. l. l. p. 375. Bluemn. l. l. p. 272), tamen ridiculi causa tanquam similia componuntur illius immanitas et huius teneritas, quae dissimillima sunt et maxime contraria. Ceterum in vocabulo *νύμφα* restituenda est terminatio Attica, cum Doricae neque alibi in hoc carmine inveniantur

---

[1]) Etiam huius fabulae v. 362 *μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδος σκάφος* insolita *πορθμίδος* vocabuli sententia obscuratus est, quam ignoraremus, nisi unum praeterea eius servatum esset exemplum. In Philoxeni enim Convivii fragm. 3, 1 sqq. *τὰς δὲ δὴ πρόσθεν μολούσας λιπαραυγεῖς — πορθμίδας πολλῶν ἀγαθῶν πάλιν εἴσφερον γεμούσας, — τὰς ἐφήμεροι καλεῦντι νῦν τραπέζας ⟨δευτέρας⟩* mensas quasdam portatorias *πορθμίδας* esse et ipse rerum verborumque contextus ostendit et *τράπεζαν* eiusdem rei descriptioni in fragm. 2, 1 *εἰς δ' ἔφερον διπλόοι παῖδες λιπαρῶπα τράπεζαν* adhibitum, quae sententia inde nata est quod, quemadmodum *πορθμεύειν* omnino transportare valet, ita *πορθμίς* quaevis res nominari potest qua quid transportatur. Hoc igitur vocabulo poëtarum more generaliter ita Euripides videtur usus esse ut mensam in universum significet. Quod si ita est, ad genuinum *πορθμίδα* ab interprete quodam qui veram eius vim non intellegeret adscriptum est *σκάφος* et, cum hoc in poëtae verba immigrasset, ex correctura illud in *πορθμίδος* mutatum est. Legendum igitur *μόνος μόνῳ κόμιζε πορθμίδα,* i. e. solus soli tibi cura (cf. Hom. Od. XVI 74. Eur. Suppl. 495) sive appara mensam.

(cf. χλιδανῆς v. 499 et ἥβη v. 503) et a comica eius hilaritate illarum gravitas maxime discrepet. Sertorum varius color (οὐ μία χροιά) vel ipsius lychnidis foliis et floribus efficitur vel etiam aliis floribus innexis; sed ambigue ipse chorus hunc sentit mixtum colorem cruoris et titionis flammae fumique. In fine temere ἐξομιλήσει auctore Botheo in suspicionem vocavit Hartungius proque eo ἐξαμιλλήσει substituit, quod circumplicabitur valere putat. Sed ne simplicis quidem verbi activum nisi apud solum Hesychium invenitur (ἁμιλλᾶν· τὸ ἐρίζειν καὶ εἰς τάχος γράφειν) et unde composito oriri possit circumplicandi sententia ne coniectura quidem assequimur. Medium quidem eius acriter contendere vel vi expellere (Eur. Or. 431), exstinguere (Eur. Cycl. 628), enecare (Eur. Or. 38) valet. Sed sana est librorum memoria. Cum enim ἐκ in verbis compositis nonnunquam simplicium vim intendat, velut in ἐξαμαρτάνειν ἐξαπατᾶν ἐξολλύναι ἐκφοβεῖσθαι, ὁμιλεῖν autem etiam simpliciter alicubi versari sonet, velut Pind. Ol. XII 19 ὁμιλέων παρ᾽ οἰκείαις ἀρούραις et Soph. Ai. 640 ἐκτὸς ὁμιλεῖ, ἐξομιλεῖν commorari valet proinde atque vis consuetudinem cum aliquo habendi, quam plerumque ὁμιλεῖν habet, in ἐξομιλεῖν quod legitur in Xen. Ages. 11, 4 ita aucta est ut hoc frequentem consuetudinem habere significet. Quod igitur, ut inter pocula fieri solebat (cf. Plut. Quaest. conviv. III 1. Bluemn. l. l. p. 245), serta Polyphemi caput circumdatura esse dicuntur, ita res atque verba chorus componit ut Cyclops facile opinetur suo capiti amoris causa illum coronam in antro impositurum esse, cum ipsius chori menti Ulixes eiusque sodales obversentur in specu illius oculum exurentes.

In fine huius disputationis superest ut cum praemissis anapaestis totum hyporchema quale emendatum esse volumus oculorum conspectui subiciamus:

ΗΜΙΧ. α΄. ἄγε τίς πρῶτος, τίς δ᾽ ἐπὶ πρώτῳ
ταχθεὶς δαλοῦ κώπην ὀχμάσας
Κύκλωπος ἔσω βλεφάρων ὤσας
λαμπρὰν ὄψιν διακναίσει;
ΗΜΙΧ. β΄. σίγα σίγα. καὶ δὴ μεθύων
ἄχαριν κέλαδον μουσιζόμενος
σκαιός, ἀπῳδὸν τάχα κλαυσόμενος
χωρεῖ πετρίνων ἔξω μελάθρων.

φέρε νιν κώμοις παιδεύσωμεν
τὸν ἀπαίδευτον.
πάντως μέλλει τυφλὸς εἶναι.

ΧΟ. μάκαρ ὅστις εὐιάζει
βοτρύων φίλαισι πηγαῖς
ἐπὶ κῶμον ἐκπετασθείς,
φίλον ἄνδρ' ὑπαγκαλίζων
ἐπὶ δεμνίοισιν ἄνθος
χλιδανῆς ἔχων ἑταίρας,
μυρόχριστος λιπαρὸν βό-
στρυχον, ᾄδει δέ· θύραν τίς οἴξει μοι;

ΚΥ. παπαπᾶ, πλέως μὲν οἴνου,
γάνυμαι δὲ δαιτὸς ἥβῃ,
σκάφος ὁλκὰς ὣς γεμισθεὶς
ποτὶ σέλμα γαστρὸς ἄκρας.
ὑπάγει μ' ὁ χόρτος εὔφρων
ἐπὶ κῶμον ἦρος ὥραις,
ἐπὶ Κύκλωπας ἀδελφούς.
φέρε μοι, ξεῖνε, φέρ', ἀσκὸν ἔνδος μοι.

ΧΟ. καλὸν ὄμμασιν δεδορκὼς
καλὸς ἐκπερᾷς μελάθρων.
⟨καλὸν οὖν⟩ φιλεῖν τί σ' ἡμᾶς.
λύχνα δ' ἀμμένει πάλαι σὸν
χρόα χὼς τέρεινα νύμφη
δροσερῶν ἔσωθεν ἄντρων
στεφάνων οὐ μία χροιὰ
περὶ σὸν κρᾶτα τάχ' ἐξομιλήσει.



LECTIONES

I. ORDINIS THEOLOGORUM.

1. Professorum ordinariorum.

IOS. SCHWANE Dr. 1. dogmaticam de Deo uno docebit bis per hebd.; 2. dogmaticam de sacramentis docere perget ter per hebd.; 3. theologiae moralis partem specialem de virtute religionis atque de officiis christiani erga se ipsum observandis exponet bis per hebd.; 4. exercitationes practicas in theologia dogmatica et ethica moderabitur horis commodis.

IOAN. HARTMANN Dr. 1. ius ecclesiasticum docere perget ter per hebd.; 2. ius matrimonii tractabit ter per hebd.; 3. exercitationes in iure ecclesiastico moderabitur semel per hebd.

PETR. FUNCKE 1. homileticam tractabit ter per hebd.; 2. liturgicam de oratione exponet bis per hebd.; 3. exercitationes pastorales instituet bis per hebd.

MAX. SDRALEK Dr. 1. historiae ecclesiasticae partem secundam inde a Gregorio P. P. I ad Gregorium P. P. VII usque enarrabit quater per hebd., 2. historiam litterarum christianarum tradet bis per hebd.; 3. in seminario historico sodalibus *διδαχὴν τῶν δώδεκα ἀποστόλων* interpretandam proponet et palaeographiam latinam docere perget semel per hebd.

ALOYS. SCHAEFER Dr. 1. evangelium secundum Matthaeum interpretabitur quater per hebd.; 2. introductionem in Novi Testamenti libros tradet bis per hebd.; 3. exercitationes exegeticas moderabitur semel per hebd.

VINAND. FELL Dr. 1. genesin interpretabitur ter per hebd.; 2. in seminario sodalibus locos Veteris Testamenti interpretandos proponet simulque exercitationes linguae Hebraicae instituet semel per hebd.; 3. *privatim* elementa linguae Arabicae docebit bis per hebd.; 4. *publice* Beidhawii

in Qoranum commentarium exponet semel per hebd.; 5. exercitationes linguae Aethiopicae tractare perget bis per hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

BERN. SCHAEFER Dr. 1. acta apostolorum explicabit ter per hebd.; 2. locos graviores et difficiliores Veteris Testamenti exponet bis per hebd.

ERNEST. COMMER Dr. 1. apologeticam integram docebit quater per hebd.; 2. historiam familiae enarrabit semel per hebd.

3. Privatim docentis.

IOS. BAUTZ Lic. apologeticae partem priorem docebit bis per hebd.; 2. tractatum dogmaticum de Deo Redemptore ad finem perducet quaternis per hebd. horis.

II. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

1. Professorum ordinariorum.

GUIL. HITTORF Dr. *privatim* de acustice et optice disseret quinquies per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes physicas in laboratorio moderabitur per ternas horas ter per hebd.

ANT. KARSCH Dr. *publice* exercitationes botanicas coniunctim cum excursionibus instituet semel per hebd. per senas horas; *privatim* 1. phytologiam generalem (morphologiam) docebit ter per hebd.; 2. phytologiam systematicam cum demonstrationibus plantarum ter per hebd.; et 3. phytologiam pharmaceuticam ter per hebd. tradet.

GUIL. STORCK Dr. *publice* carmina selecta poetarum lyricorum quos „Minnesänger" vocant, interpretabitur bis per hebd.; *privatim* historiam litterarum Germanicarum recentiorem enarrabit quater per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes Germanicas moderabitur semel per hebd.

PETR. LANGEN Dr. *publice* 1. de rebus divinis Romanorum disseret bis per hebd.; 2. in seminario philologico sodalibus ordinariis librum primum Aeneidis Vergilianae explicandum proponet eorumque disputationes mode-

rabitur bis per hebd.; *privatim* Taciti annales interpretabitur quater per hebd.

MATTH. STAHL Dr. *publice* 1. de rebus sacris Graecorum disseret bis per hebd.; 2. sodalibus seminarii philologici ordinariis Lycurgi Leocrateam interpretandam proponet eorumque disputationibus praeerit bis per hebd.; 3. eiusdem seminarii sodales extraordinarios interpretanda Horatii arte poetica exercebit semel per hebd.; *privatim* Thucydidis librum tertium interpretabitur quater per hebd.

AUG. HOSIUS Dr. *publice* de plantis fossilibus disseret bis per hebd.; *privatim* palaeontologiae partem primam tradet quater per hebd.

PAUL. BACHMANN Dr. *publice* 1. seminarii mathematici exercitationes moderabitur binis per hebd. horis; 2. hydrodynamicen docebit bis per hebd.; *privatim* calculi differentialis et integralis elementa tradet quater per hebd.

GID. SPICKER Dr. *publice* 1. disputationes philosophicas instituet semel per hebd.; 2. de summis philosophiae problematis disseret bis per hebd.; *privatim* historiam philosophiae criticam inde a Cartesii aetate usque ad Kantium tradet quater per hebd.

THEOD. LINDNER Dr. *publice* exercitationes seminarii historici moderabitur bis per hebd.; *privatim* historiam novissimam inde ab anno 1815 enarrabit quater per hebd.

GUST. KOERTING Dr. *publice* 1. litterarum Hispanarum historiam tradet bis per hebd.; 2. seminarii Romanensis et Anglici sodalibus vetustissima linguae Francogallicae monumenta interpretanda proponet sodaliumque disputationibus praeerit bis per hebd.; *privatim* 1. praefatus de Romanorum sermone vulgari linguae Francogallicae historiam inde ab originibus usque ad nostram aetatem enarrabit quater per hebd.; 2. de arte metrica et Francogallorum et Anglorum disseret bis per hebd.; 3. artem Francogallice scribendi docebit bis per hebd.

BERN. NIEHUES Dr. *publice* 1. de summo sacerdotio et imperio aevi medii disseret bis per hebd.; 2. exercitationes seminarii historici moderabitur bis per hebd.; *privatim* historiam Graecorum usque ad bella Persica tradet quater per hebd.

RUD. STURM Dr. *publice* exercitationes seminarii mathematici moderabitur binis per hebd. horis; *privatim* 1. geometriae duarum dimensionum partem priorem docebit ter per hebd.; 2. de curvatura curvarum et superficierum disseret ter per hebd.

HENR. SALKOWSKI Dr. *publice* de metallis disseret bis per hebd.; *privatim* chemiam organicam docebit quater per hebd.; *privatissime* exercitationes chemicas in laboratorio cottidie moderabitur senas per horas.

GEORG. HAGEMANN Dr. *publice* historiam philosophiae recentioris inde a Baconis et Cartesii aetate tractabit ter per hebd.; *privatim* 1. logicam et noëticam docebit quater per hebd.; 2. metaphysicam tradet quater per hebd.

OSC. BREFELD Dr. *publice* demonstrationes botanicas in horto botanico instituet semel per hebd.; *privatim* botanicen systematicam (specialem) plantarum evolutionis historia illustratam docebit quinquies per hebd.; *privatissime* disquisitiones botanicas in laboratorio moderabitur cottidie.

IOS. NORDHOFF Dr. *publice* de aedificio summi Templi Coloniensis agere perget bis per hebd.; *privatim* historiam artium et elegantiorum et minutarum recentioris aevi tradet ter per hebd.

2. Professorum extraordinariorum.

ADALB. PARMET Dr. *publice* elegiam Alexandrinorum, quam vocant, qualis fuerit et quid valuerit, examinabit ter per hebd.; *privatim* Tibulli elegiarum librum primum explicabit ter per hebd.

HERM. LANDOIS Dr. *publice* exercitationes zoologicas instituet quinquies per hebd.; *privatim* entomologiam tradet quater per hebd.

LAD. DE OCHENKOWSKI Dr. *publice* exercitationes ad oeconomiam publicam spectantes instituet semel per hebd.; *privatim* 1. theoriae rei financiariae partem de vectigalibus tractabit bis per hebd.; 2. de pecunia et credito aget semel per hebd.

ARTH. MILCHHOEFER Dr. scholas archaeologicas, cum ex Graecia reverterit, indicabit.

CHRIST. BARTHOLOMAE Dr. *publice* grammaticam Oscam tradet et inscriptiones Oscas interpretabitur bis per hebd.; *privatim* 1. scriptorum Sanscriticorum inter-

pretationem moderabitur ter per hebd.; *privatissime* grammaticam palaeoiranicam docebit.

RICH. LEHMANN Dr. *publice* de methodo institutionis geographicae disseret semel per hebd.; *privatim* geographiam Africae et Australiae tractabit ter per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes geographicas moderabitur semel per hebd.

ARTH. MEYER Dr. *publice* chemiam pharmaceuticam tradet bis per hebd.; *privatissime* in laboratorio chemico artem pharmaceutico-chemicam et analysin toxicologicam docebit cottidie quinas per horas.

OTTO MUEGGE Dr. *publice* crystallographiam physicam tractabit bis per hebd.; *privatim* de mineralibus saxa constituentibus disseret ter per hebd.; *privatissime et gratis* exercitationes mineralogicas in laboratorio moderabitur ter per hebd.

3. Privatim docentium.

GEORG. HUEFFER Dr. *privatim* historiam Germanici regni ac populi inde a medio saeculo XIII usque ad finem saeculi XV enarrabit ter per hebd.

EUG. EINENKEL Dr. *publice* litterarum Anglicarum historiam inde a Normannorum invasione usque ad medium saeculum XVI tractabit ter per hebd.; 2. seminarii Anglici sodalibus Chauceri poetae Canterburiensium historiarum nonnullas legendas et interpretandas proponet bis per hebd.; *privatissime et gratis* sermones lingua neo-anglica instituendos moderabitur bis per hebd.

LUD. WUELLNER Dr. *publice* de Goethei et Schilleri operibus inde ab anno 1794 usque ad annum 1805 disseret bis per hebd.; *privatim* litterarum Germanicarum historiam antiquiorem usque ad annum 1300 tradet ter per hebd.

FRANC. IOSTES Dr. *publice* de antiquis sacrorum Bibliorum in linguam Germanicam translationibus disseret semel per hebd.; *privatim* litterarum Germanicarum historiam antiquiorem enarrabit quater per hebd.

4. Lectorum academicorum.

IUL. OTTO GRIMM Dr. Prof. *publice* 1. doctrinam harmoniae tradet semel per hebd.; 2. exercitationes cantus chorici moderabitur semel per hebd.

FRID. SCHMIDT *publice* 1. de locis gravioribus ad musicam ecclesiasticam spectantibus disseret semel per hebd.; 2. exercitationes cantus ecclesiastici utriusque instituet semel per hebd.

Disciplinarum apparatus et instituta.

Bibliotheca Paulina stato tempore patebit eiusque opes litterarum amantibus ex legum praescripto officiosissime dispensabuntur. *Anagnosterium academicum* ephemeridum litteratarum cognoscendarum opportunitatem intrantibus praebebit. *Apparatus mathematicus et astronomicus, laboratorium physicum, laboratorium chemicum, laboratorium botanicum, museum mineralogicum et zoologicum, collectio anatomica, museum archaeologicum et apparatus archaeologicus, apparatus geographicus, hortus* denique *botanicus* studiosis et curiosis lubenter aperientur, qui quidem eos viros quibus earum rerum demandata est cura rite adierint.

De seminario philologico sub nominibus profess. ord. LANGEN et STAHL dictum est, de seminario mathematico sub nominibus profess. ord. BACHMANN et STURM, de seminario historico sub nominibus profess. ord. LINDNER et NIEHUES, de seminario romanensi et anglico sub nomine profess. ordin. KOERTING.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Significat numerus 1. diem Lunae, 2. diem Martis, 3. diem Mercurii, 4. diem Iovis, 5. diem Veneris, 6. diem Saturni; numeri I, II, III rel. auditoria significant.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
7—8	B. SCHAEFER P. E., acta apostolorum. (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, loci graviores et difficiliores Veteris Testamenti. (4. 5.) Nro. II.	STORCK P. O., historia litterarum Germanicarum. (2. 3. 4. 5.) Nro. IV. Idem, exercitationes Germanicae. (6.) Nro. IV. HOSIUS P. O., palaeontologiae pars prima. (1. 2. 3. 4.) mus. mineralog. Idem, de plantis fossilibus. (5. 6.) mus. mineralog.
8—9	SCHWANE P. O., dogmatica de sacramentis (continuatio). (1. 2. 3.) Nro. VII. Idem, dogmatica de Deo eiusque attributis una cum exercitationibus in disputando. (4. 5.) Nro. VII. Idem, theologiae moralis pars specialis (continuatio). (6.) Nro. II.	STORCK P. O., carmina poëtarum lyricorum. (3. 6.) Nro. IV. LANGEN P. O., Taciti annales. (2. 3. 4. 5.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., chemia organica. (2. 3. 5. 6.) aud. chem. Nro. II. Idem, de metallis. (1. 4.) aud. chem. Nro. I. HAGEMANN P. O., metaphysica. (1. 2. 4. 5.) Nro. VIII. Idem, logica et noëtica. (3. 6.) Nro. VIII. MUEGGE P. E., de mineralibus saxa constituentibus. (2. 3. 6.) mus. mineralog.
9—10	FUNCKE P. O., homiletica (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, liturgica de oratione. (4.) Nro. II. Idem, exercitationes pastorales. (5. 6.) Nro. II. FELL P. O., explicatio libri Genesis. (1. 3. 5.) Nro. VII.	LANGEN P. O., de rebus divinis Romanorum. (3. 4.) Nro. III. Idem, seminarium philologicum. (2. 5.) Nro. I. LINDNER P. O., historia novissima (1. 2. 5. 6.) Nro. V. STURM P. O., geometriae duarum dimensionum pars prior. (1. 2. 4.) Nro. IX. Idem, de curvatura curvarum et superficierum. (3. 5. 6.) Nro. IX.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
9—10	FELL P. O., in seminario exegetica Veteris Testamenti et exercitationes Hebraicae.	SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) HAGEMANN P. O., logica et noëtica. (2. 5) Nro. VIII. Idem, historia philosophiae. (1. 3. 4.) Nro. VIII. BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) PARMET P. E., Tibulli elegiarum liber I. (1. 2. 3.) Nro. VI. Idem, elegia Alexandrinorum. (4. 5. 6.) Nro. VI. LEHMANN P. E., geographia Africae et Australiae. (4.) aud. geogr. MEYER P. E., chemia pharmaceutica. (1. 4.) aud. chem.
10—11	HARTMANN P. O., ius ecclesiasticum. (1. 2. 3.) Nro. II. Idem, ius matrimonii. (4. 5. 6.) Nro. II. COMMER P. E., apologetica integra. (1. 2. 3. 4.) Nro. VII.	SPICKER P. O., historia philosophiae. (1. 2. 3.) Nro. IV. Idem, de summis philosophiae problematis. (4. 5.) Nro. IV. NIEHUES P. O., de summo sacerdotio et imperio aevi medii. (2. 3.) Nro. III. Idem, primordia historiae Graecorum. (4. 5. 6.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) LANDOIS P. E., entomologia. (1. 2. 4. 5.) aud. zoolog. LEHMANN P. E., geographia Africae et Australiae. (1.) aud. geogr.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
10—11		BARTHOLOMAE P. E., grammatica Osca. (3. 6.) Nro. IX. MUEGGE P. E., crystallographia physica. (3. 6.) mus. mineralog. EINENKEL P. D., historia litterarum Anglicarum. (2. 4. 5.) Nro. V. HUEFFER P. D., historiae Germanicae medii aevi pars ultima. (1.) Nro. V. JOSTES P. D., historia litterarum Germanicarum. (1. 2. 4. 5.) Nro. VI. Idem, de antiquis sacrorum Bibliorum in linguam Germanicam translationibus. (7.) Nro. VI.
11—12	SCHWANE P. O., theologiae moralis pars specialis (continuatio). (2.) Nro. II. HARTMANN P. O., exercitationes in iure ecclesiastico. (6.) Nro. II. FUNCKE P. O., liturgica de oratione. (4.) Nro. II. A. SCHAEFER P. O., evangelium secundum Matthaeum. (1. 3. 5. 6.) Nro. VIII.	STAHL P. O., de rebus sacris Graecorum. (2. 5.) Nro. IV. Idem, seminarium philologicum. (1. 4.) Nro. I. BACHMANN P. O., calculi differentialis et integralis elementa. (1. 2. 4. 5.) Nro. IX. Idem, hydrodynamice. (3. 6.) Nro. IX. SPICKER P. O., historia philosophiae. (6.) Nro. IV. KOERTING P. O., de arte metrica Francogallorum et Anglorum. (2. 5.) Nro. V. Idem, de arte Francogallice scribendi (1. 4.) Nro. V. NIEHUES P. O., primordia historiae Graecorum. (3.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) NORDHOFF P. O., historia artium et elegantiorum et minutarum. (2. 3. 6.) Nro. VII.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
11—12		NORDHOFF P. O., de summo templo Coloniensi. (4. 5.) Nro. VII. LEHMANN P. E., geographia Africae et Australiae. (6.) aud. geogr. EINENKEL P. D., sermones Anglicae. (3. 6.) Nro. V.
12—1	SDRALEK P. O., historia ecclesiastica. (1. 2. 3. 4.) Nro. VIII. Idem, patrologia. (5. 6.) Nro. VIII.	HITTORF P. O., acustice et optice. (1. 2. 3. 4. 5.) aud. phys. KARSCH P. O., phytologia generalis. (1. 2. 3.) aud. zool. Idem, phytologia systematica. (4. 5. 6.) aud. zool. STAHL P. O., Thucydidis liber III. (1. 2. 4. 5.) Nro. IV. Idem, seminarium philologicum. (3.) Nro. I. KOERTING P. O., historia linguae Francogallicae. (1. 2. 4. 5.) Nro. V. Idem, historia litterarum Hispanarum. (3. 6.) Nro. V. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) DE OCHENKOWSKI P. E., de pecunia et credito. (4.) Nro. I. Idem, theoriae rei financiariae pars de vectigalibus. (5. 6.) Nro. I. HUEFFER P. D., historiae Germanicae medii aevi pars ultima. (3. 6.) Nro. VI.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
2—3		KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus. (6.) Idem, phytologia pharmaceutica. (1. 2. 3.) aud. zool. LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.) MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae. (2. 4.) mus. mineral. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico.
3—4	BAUTZ P. D., de Deo redemptore. (1. 2. 3. 4.) Nro. II. Idem, apologetica. (5.) Nro. VIII.	KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus. (6.) LINDNER P. O., seminarium historicum. (6.) Nro. V. NIEHUES P. O., seminarium historicum. (5.) Nro. III. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.) MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae. (2. 4.) mus. mineral. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico.
4—5	A. SCHAEFER P. O., introductio in Novi Testamenti libros. (2. 5.) Nro. VIII. FELL P. O., elementa linguae Arabicae. (1. 4.) Nro. II.	HITTORF P. O., exercitationes practicae in laboratorio physico. (1. 3. 5.) KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus. (6.) BACHMANN P. O., seminarium mathematicum. (1.) Nro IX.

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
4—5	FELL P. O., cursus linguae Aethiopicae. (3. 6.) Nro. II. BAUTZ P. D., apologetica. (1.) Nro. VIII.	LINDNER P. O., seminarium historicum. (6.) Nro. V. NIEHUES P. O., seminarium historicum. (5.) Nro. III. STURM P. O., seminarium mathematicum. (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.) BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.) LEHMANN P. E., de institutione geographica. (4.) aud. geogr. MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae. (2. 4.) mus. mineral. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico.
5—6	A. SCHAEFER P. O., exercitationes exegeticae. (2.) Nro. II. FELL P. O., explicatio Beidhawii in Qoranum commentarii. (3.) Nro. II. COMMER P. E., historia familiae. (5.) Nro. VII.	HITTORF P. O., exercitationes practicae in laboratorio physico. (1. 3. 5.) KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus (6.) BACHMANN P. O., seminarium mathematicum. (1.) Nro. IX. KOERTING P. O., seminarium romanense et anglicum. (3.) Nro. V. STURM P. O., seminarium mathematicum (3.) Nro. IX. SALKOWSKI P. O., exercitationes in laboratorio chemico. (1. 2. 3. 4. 5.)

SCHOLAE HORARUM ORDINE DISPOSITAE.

Hora.	Theologicae.	Philosophicae.
5—6		BREFELD P. O., disquisitiones botanicae in laboratorio botanico. (1. 2. 3. 4. 5. 6.) LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.) LEHMANN P. E., exercitationes geographicae. (4.) aud. geogr. MUEGGE P. E., exercitationes mineralogicae. (2. 4.) mus. mineral. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. EINENKEL P. D., exercitationes seminarii anglici (5.) Nro. V.
6—7		HITTORF P. O., exercitationes practicae in laboratorio physico. (1. 3. 5.) KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus. (6.) KOERTING P. O., seminarium romanense et anglicum. (3.) Nro. V. BREFELD P. O., phytologia specialis. (1. 2. 3. 4. 5.) Nro. IX. LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.) DE OCHENKOWSKI P. E., exercitationes ad oeconomiam publicam spectantes. (4.) Nro. I. MEYER P. E., exercitationes pharmaceutico-chemicae (1. 2. 3. 4. 5.) in laboratorio chemico. EINENKEL P. D., exercitationes seminarii anglici. (5.) Nro. V.
7—8		KARSCH P. O., exercitationes botanicae coniunctim cum excursionibus. (6.) LANDOIS P. E., excursiones zoologicae. (3.)

HORIS POSTEA INDICANDIS.

BREFELD P. O., demonstrationes botanicae.

SDRALEK P. O., exercitationes historiae ecclesiasticae.

BARTHOLOMAE P. E., exercitationes palaeoindicae.

Idem, grammatica palaeoiranica.

GRIMM Dr., de harmonia.

Idem, exercitationes cantus chorici.

SCHMIDT F., de locis gravioribus ad musicam ecclesiasticam spectantibus.

Idem, exercitationes cantus ecclesiastici utriusque.

MILCHHOEFER P. E., scholas archaeologicas, quas habiturus est, postea indicabit.

DEITERS, C., valetudine impeditus lectiones non habebit.





